

paratos esse. Verum vel Catechismus noster aliter nos instruit, dum modo recensita equidem laudat, sed & simul indicat, eos demum recte esse præparatos qui vera fide accedunt. Ita enim non solum examen vitæ nostræ, sed & retractatio peccatorum, seria illorum detestatio, & propositum non amplius peccandi ad genuinam præparationem requiruntur.

4. *Quando acceperunt S. Cœnam tunc putant se esse absolutos a pristinis peccatis, & de novo posse peccare.* (Das Kerbholz sey nun abgeschnitten / jetzt gehe es wieder auf ein neues.) Verum nonne hoc est Christum pro servo peccati habere, Christi merito pro pallio peccatorum uti, sanguinem Christi pedibus calcare, & verum S. cœnæ usum ignorare?

§. XVII.

Præjudicia practica circa Confessionem fidei externam, ea sunt:

1. *Nihil obstat, quominus, ad periculum aliquod evitandum aut bonum aliquod acquirendum, dissimulari aut plane negari possit fides, aut cui religione quis sit addictus.* Sed conf. 1. Petr. III, 15. Matth. X, 32, 33. Hoc enim est homines magis timere quam Deum, & ob bonum terrenum bona cœlestia vilipendere.

2. *Quamvis quis ore se huic vel illi religione addictum esse profiteatur, in corde tamen plane alia illum posse sentire & cogitare.* Confer vero Matth. X, 33. Rom. X, 9, 10. Apoc. II, 10.

3. *Sic putant, ceremonias tamen alias religionis quem posse externe observare & in corde illas irridere.* Annon vero talem hominem pudeat sui domini, & sic cultum Dei alienum ipso facto approbet, quilibet facile judicare poterit. Conf. Apoc. III, 15. sqq.

D

§. XVIII.